

bilitate &c. 1. Cor. XV. Addit etiam Loca Dan. XI. v. 3. Matth. XIII. 43. Phil. III. v. 21. Ceterum, pergit Hunnius, præter gloriam, paratum ibi erit electis Gaudium quoque sempiternum, & beatitudo inenarrabilis, præ cujus sensu & dulcedine ex animis beatorum obliterabitur omnium rerum terrenarum, quamlibet eximiarum, memoria & appetitio &c. Duo ergo sunt, quæ ille h. l. observat, ad prægustum beatitudinis pertinentia, 1. Claritatem corporum in Christo, Mose & Elia, oculis discipulorum exhibitam. 2. Gaudium singulare, cuius sensus fastidium terrenarum deliciarum aut gaudiorum excitet. Neutrum autem horum ad immediatam illam visionem Dei, de qua hic quæstio est, spectat.

XLIII. Quod si rem ipsam verbis Evangelistarum traditam sine præjudicio auctoritatis humanæ consideremus; profecto apparet, nihil dici de essentia divina, a discipulis in se immediata ac citra verbum, tam internum quam externum, cognita. Ea vero, quæ illis contigerunt, constiterunt partim in exhibita specie visibili glorificatorum corporum, humanorum, partim edita supernaturaliter & ad aures discipulorum pertingente voce articulata; partim in gaudio singulari ac valde interno; sed cuius motivum non erat essentiæ divinæ comprehensio intellectualis, verum extraordinarium illud spectaculum, mentem ipsorum penetrans, atque efficiens, ut ea ab objectis aliis avocata in uno illo tam jucundo suaviter laetitiae & quiete placuisse. Quæ omnia quantum absint a sententia Keithi & socrorum, nemo, opinor, est, qui non intelligat.

XLIV. Raptus autem ille Pauli in tertium cœlum, paulo plus probabilitatis lententiaKeithianæ afferre posse videtur. Nam & ex Pontificiis Thomas II. Ildebrandi Q. CLXXV. art. III. in in concl. statuit, quod *Paulus*, usque in tertium cœlum divina virtute raptus, Deum per essentiam viderit. Et in confirmatione ejus sententia docet, *Lumen Glorie*, sine quo divina essentia videri ab intellectu creato non potest, fuisse in Paulo, non quidem per modum formæ immanentis, prout beatos facit sanctos in Patria, sed per modum